



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

R.P. Richardi Lyncei ... Vniversa Philosophia Scholastica

Complectens Physicam, siue Scientiam de Corpore naturali

Lynch, Richard

Lvgdvni, 1654

III. An idem corpus naturale aliave res possit diuinitus esse simul in duplici
loco adæquato circumscriptiuè?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95236](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95236)

perficies rei locatæ aliâs interiores ambiat, & circumscribat: definitiuum vero ita dicitur, quod præcisè habeat rem loco definire, eamque hic v.g. & non alibi constituere, absque vlla tamen circumscriptione, aut situ partium: vbi vero im-
 mensum sic nuncupatur, quod modum omnem, atque mensuram excedat. Illud autem animadu-
 uertendum est, locum realem sapissimè sumi so-
 lere pro solo vbi circumscriptiuo: huius enim defectu docet Augustinus, non solum Deum, & Angelum, verum etiam animam rationalem il-
 localem esse, & spatio carere: *Videamus* inquit, in libro de quantitate animæ cap. 20. illud alterum argumentum, quale sit, quod per totum spatium cor-
 poris tactu sentitur ab anima, quam spatij nullius esse volumus. Eodem modo loquitur B. Claudian. de stat. anim. cap. 17. ibi: *Si localis est anima, multi-
 moda potest sectione comminui, & frequentia commi-
 nutationis aboleri: sed quia istud mens sana, ne dicam,
 docta, non recipit, &c.*

18.

Porro, materia prima, forma substantialis, & accidentia omnia idem numero vbi, eundemque locum intrinsecum sortiuntur: siquidem pene-
 trantur: ergo in eodem loco, siue ibidem existunt. Dices: ea penetrari non quod idem numero vbi
 sortiantur, sed quod vbi vnus, & vbi reliquorum sint penetrata, idemque spatium imaginarium oc-
 cupent. Contra tamen: quia iuxta aduersarios duæ quantitates naturaliter penetrari nequeunt: at
 vbitates rerum earum quantitates esse ex Augu-
 stino, & Aristotele supra ostendimus: Deinde quæ necessitas est tribuendi materiæ, formæ, &
 accidentibus inuicem penetrantibus diuersum realiter vbi, distinctumque numero locum: quod
 enim materia prius natura approximata sit agen-
 ti, atque adeo prius locum occupet, quam forma
 substantialis, aut accidentalis sint, nedum in
 loco sint, tantum arguit vbicationem materiæ,
 eiusque vnionem cum loco, siue vbi priorem na-
 tura esse quam vbicaciones, aut vniones formæ
 substantialis, & accidentium cum loco: at quod
 vbi siue spatium vnus partis prius natura sit spa-
 tio, & vbi cæterorum illinc minimè arguitur. Et
 quidem quod attinet ad accidentia nullum illis
 proprium vbi esse, ac distinctum ab vbi, quod
 habent substantiæ, quibus accidentia, expressa
 sententia est P. Rubij 4. Physicor. tract. de natura
 loci quæst. 5. num. 74. & seq. Quæ autem in con-
 trarium obijcit contrariæ assertor sententiæ D.
 Tellez disput. 44. Metaphys. sect. 1. facilia sunt, &
 absque negotio solui possunt ex dictis.

CAPVT III.

*An idem corpus naturale, aliæue res possit
 diuinitus esse simul in duplici loco ad-
 æquato circumscriptiuè?*

19.

Eandem rem in duobus, aut pluribus locis
 circumscriptiuè esse posse de absoluta creato-
 ris potentia tuentur Alensis, Scotus, Richardus,
 Maior, Gabriel, Occamus, Marsilius, Adamus,
 Aureolus, alique plures scholastici antiqui: hanc
 etiam sententiam tanquam magis idoneam ad
 hæreses nostri temporis circa mysterium Eucha-
 ristie profligandas amplexa est vniuersa ferme
 Societas Iesu, eamque multis, & efficacibus ar-

gumentis probat, quæ breuiter insinuare, non fa-
 se prosequi lubet: tum quia per se clarissima sunt:
 tum etiam quia à nostris Theologis late expen-
 di solent.

Argumentor igitur primò: plura contraria
 diuinitus eidem subiecto conuenire possunt, vi-
 delicet, calor summus, summaque frigiditas, aut
 humiditas, & siccitas in supremo gradu: aut quod
 plus est, assensus, ac dissensus; amor, & odium
 efficax eiusdem obiecti, vt in Metaph. tract. 12.
 cap. 1. lib. 7. ostendam: cur igitur vnum vbi cir-
 cumscriptiuum simul cum alio distanti eidem
 corpori conuenire nequeat, cum alterum alteri
 contrarium tantum sit, & neutrum alteri forma-
 liter contradicat, per eiusve carentiam definiatur,
 sed potius per hoc, quod partes rei locatæ parti-
 bus loci commensurent, & singulas partes rei in
 singulis tantum partibus loci constituat. Secun-
 dò: non magis repugnat, corpus aliquod habere
 duplex vbi circumscriptiuum, quo simul in di-
 uersis locis existat, quam omni vbi circumscrip-
 tiuò spoliari: at Deus supernaturaliter potest fa-
 cere, vt corpus aliquod circumscriptiuè nullibi
 sit, tantumque definitiuè in loco existat, idque
 de facto fieri, si Christus in sola Eucharistia
 aliquandiu esse vellet. Tertiò: non magis repu-
 gnat, vnum corpus esse circumscriptiuè in diuer-
 sis locis, quam duo corpora esse circumscriptiuè
 in eodem loco: at diuinitus factum fuit non se-
 mel, vt duo corpora in eodem loco circumscrip-
 tiuè essent, vt cum Christus Redemptor noster
 virginea claustra, ianuas obseratas, sepulchri la-
 pidem, ac cælestes orbes omnipotenti sua virtu-
 te penetrauit.

Quartò: vnum accidens diuinitus collocari
 potest in diuersis subiectis; siquidem quod pari
 admiratione dignum, salua tamen fide negari ne-
 quit, accidens sine vilo subiecto diuinitus exi-
 stere valet: similiter etiam vna forma substantia-
 lis in diuersis materiis per miraculum esse potest:
 cur ergo vnum corpus circumscriptiuè in diuer-
 sis locis simul esse nequeat, aut quæ vtrinque
 disparitatis ratio est. Quintò iuxta non paucos
 aduersariorum vna natura diuinitus esse potest in
 diuersis suppositis, altero creato, & altero in-
 creato; atque ita eueniret, si Deus naturam An-
 gelicam seipsa subsistentem assumeret. Rursus
 etiam vna subsistentia, ac supposita in diuer-
 sis naturis esse, easque intrinsecè afficere potest,
 vt ex Dominicæ Incarnationis mysterio explora-
 tum est: ergo similiter, &c. Sextò Angelus natu-
 raliter, & absque miraculo totus est in vno loco,
 ac totus simul in alio, siue eiusmodi loci continui
 sint, siue, quod aliis non displicet, discreti sint,
 dummodo ambo sphaeram adæquatam Angeli non
 excedant: cur igitur Deus miraculosè nequeat
 totum corpus hic, ac totum alibi circumscriptiuè
 collocare.

Septimò: vnus effectus à duplici causa ad-
 æquata diuinitus prodire; aut, quod perinde est,
 in duplici virtute totali contineri potest: quidni
 ergo & vnum corpus in duplici loco circumscrip-
 tiuè. Octauò: corpus Christi de facto habet
 plures præsentias adæquatas, quibus in diuersis
 locis existat, & non qualescunque, sed definiti-
 uas, ac supernaturales, vti ex mysterio Eucha-
 ristie constat: ergo à fortiori corpus Christi plu-
 res præsentias adæquatas, naturales quidem, ac
 circumscriptiuas habere, & merito illarum in di-
 uersis

20.

21.

22.

ueris locis existere potest: cur sicut præsentia adæquata supernaturalis cum alia adæquata supernaturali, aut naturalis cum supernaturali coherere potest, duæ etiam naturales coniungi, eisdemque corpori diuinitus tribui nequeant: Tandem ex nostris historiis constat S. Franciscum Xauerium Orientis Apostolum in duobus locis circumscriptiue extitisse, & eodem temporis articulo in nau, atque etiam in scapha, quas longo interfrementis pelagi tractu disiecerat insana tempestas, multis apparuisse: huiusmodi ergo miraculum non repugnat.

23. Verum Thomista ferè omnes cum Beato Thoma contrariam sententiam tuentur: potissimum eorum fundamentum est, si idem homo verbi gratia posset esse circumscriptiue in duobus locis adæquatis, in vno posset summum calorem ab igne, & in alio summam frigiditatem à niue recipere: item in vno posset mereri, bonitatemque Dei illic propositam super omnia amare, & gratiam suam augere: in alio verò demereri, obiectumque aliquod turpe amare, Deumque odisse, atque in peccato esse. Præterea in vno posset accepto vulnere mori, in alio verò vulneris securus viuere: ac eundem hominem simul esse summè calidum, & frigidum; simulque mereri, & demereri; Deum amare, & odisse; esse in peccato, & gratia; viuere, ac mori repugnat.

24. Respondeo negata sequela: pro cuius intelligentia animaduertendum est, vnionem cuiusuis accidentis cum subiecto, si solum *ubi* excipias, efficere, vt vbiunque existat subiectum, ibi etiam accidens necessario existat; atque etiam, quod consequens est, vt accidens in duobus locis adæquatis existat, si in illis subiectum supernaturaliter collocetur: hac ratione corpus Christi, quod vi verborum sub speciebus sanguinis non constituitur, vi tamen vnionis cum sanguine sub iis collocatur: idemque sanguini respectu specierum panis vsuuenit. Hinc est, vt corpus hic & Romæ existens summè calidum, & frigidum ex natura rei, & absque nouo miraculo esse nequeat, quia caliditas hic ei impressa vi vnionis Romam transfertur, eamque ad temperiem reducit. Hinc etiam est, vt quis hic existens, Deumque amans super omnia, eum Romæ odisse nequeat, quantum peccandi illecebræ illic ei proponantur, quia amor Dei super omnia hic elicitus, meritumque, & gratia cum amore consequens, Romam transferuntur absque vlllo motu, ac vi solius vnionis, atque illic odium Dei demeritum, ac peccatum ab eo auertunt. Hinc demum est, vt quis accepto vulnere, hic mortem oppetens, Romæ etiam necessario moriatur, eo quod vulnus hic ei inflatum, non solum hic, sed etiam vbiunque noceat, & nusquam non lethale sit.

25. Addiderim, nullam esse repugnantiam in eo, quod idem numero homo sit summè calidus, & frigidus, Deumque efficaci odio, & amore prosequatur: innumeris etiam Theologi probabiliter defendunt, gratiam componi posse diuinitus cum peccato, actumque demeritorium cum alio, quantum est de se meritorio: aliqui etiam cum P. Suarez tuentur diuinitus fieri posse, vt idem numero homo in eodem temporis momento hic uiuat, & Romæ moriatur; quod etiam probabile est, si mors non pro carentia, & destructione formæ vitalis, aut eius vnionis sumatur, vt à multis

sumi consuevit, sed solum pro separatione formæ vitalis, eiusque vnionis à corpore quoad locum; ita vt nihil aliud sit corpus hic viuens mori Romæ, quam formam vitalem antea informantem tale corpus vbiunque locorum, incipere Romæ illud non informare, cum tamen alibi illud informat.

Pater Valquez tom. 3. in 3. part. disput. 189. Thomisticam sententiam alio argumento tueretur: nam lapis, inquit, si posset esse supernaturaliter in duplici loco adæquato circumscriptiue, posset etiam naturaliter esse in duobus locis adæquatis circumscriptiue: consequens est falsum: ergo &c. Probat minorem: quia si idem lapis super duas columnas circumscriptiue existat, sublati columnis lapis ille naturaliter descendet, suoque pondere vtrouique deorū feretur: ergo naturaliter duplicem locum adæquatum de nouo acquireret. Aliqui cum P. Hurtado respondent: lapidem in eo euentu minimè descensurum, motumve vllum subiturum. Sed immerito: nam, quæ esset innata lapidis grauitas, necnon immanis, & bruta moles, in aere pendere, locumque superum sibi contrarium naturaliter retinere non posset: deorsum ergo ferretur, nisi eius naturæ, & exigentiæ Deus nouo miraculo contrauenire statueret. Alij respondent; futurum esse, vt lapis in eo euentu vtrouique descenderet, ac duplicem locum adæquatum duplici motu acquireret; tamen si autem absque nouo miraculo, imò supposito priori miraculo naturaliter id eueniret, haud quam tamen motus ille in duplicem locum adæquatum lapidi absolutè, & simpliciter naturalis foret, utpote qui non fieret viribus solius naturæ, sed tantum viribus naturæ eleuata, atque in duplici loco per miraculum antea constitutæ. Hæc etiam solutio non placet: quia non magis conferunt ad duas vbicationes adæquatas denud acquirendas duæ aliæ præuix, quam ad summum calorem acquirendum solius ignis præsentia; & ad acquirendam summam frigiditatem solius niuis: at corpus solo igne hic ei applicato, ac sola niue hic ei applicata, non propterea absque nouo miraculo summè calidum, ac simul summè frigidum euaderet, vt supra ostensum manet, & huius solutionis Auctores fatentur: ergo similiter, &c.

26. Quare missis his, & alijs solutionibus; respondeo primò per instantiam: siquidem lapis definitiue existens super duas columnas, iis subtractis deorsum descendet pro innata sibi grauitate: ergo duos locos adæquatos naturaliter comparare poterit, si quid argumentum contrarium valet. Eadem instantia fieri potest in Angelo duos locos adæquatos definitiue occupante: proculdubio enim naturaliter se mouere posset. Deinde absolute respondeo, futurum esse, vt lapis in eo euentu in centrum rueret, ac deorsum descenderet: Deum autem liberè determinaturum versus quam partem descensus fieret, eo quod versus vtramque fieri non posset; vnus autem potius, quam alterius potior ratio ex parte creaturæ non esset: hac ratione Deus determinat actiones causarum secundarum quoad indiuiduum, quia causæ secundæ quoad indiuiduum indifferentes de se sunt: ergo cum causa aliqua secunda miraculo aliquo præsupposito quoad speciem indifferens fuerit, Dei partes tunc erunt determinare cuius speciei actionem elicitura sit.

Obijciunt

28.

Obiiciunt tertio aduersarij: si idem corpus esset in duobus locis circumscriptiue; profecto distaret; & non distaret à seipso: distaret quidem; quia loca quæ occuparet, inter se haberent distantiam: quo pacto duo corpora idem de facto distant inuicem, quia loca distantia replent. Rursus, non distaret corpus illud à seipso, quoniam distare non possunt, nisi quæ distinguuntur: positio autem corporis in duobus locis circumscriptiue non faceret illud à seipso distingui: haud enim eius essentiam variaret. Obiiciunt quarto; fore ut corpus circumscriptiue positum in duobus locis posset, & non posset tangere seipsum. Quod non posset semetipsum tangere perspicuum est: contactus enim est duorum extremorum, & essentialiter ad aliud, instar cæterarum relationum realium. Quod è contrario posset illud corpus se tangere non minus exploratum esse videtur: nam si potest esse in duobus locis adequatis circumscriptiue, quidni in locis contiguis? Eo autem ipso quod occuparet circumscriptiue loca contigua, non posset non se tangere, siue non sibi esse contiguum: cum contiguitas corporum à contiguitate locorum, in quibus sunt, dicatur.

29.

Obiiciunt quinto; fore ut illud corpus esset, & non esset extra quemlibet eorum locorum, in quibus existeret circumscriptiue: in primis enim non esset illud corpus extra locum *A.* v. gr. quia reuera esset in illo, adeoque intra illud: deinde esset extra talem locum *A.* quoniam esset in loco *B.* distincto, & extra iacente. Obiiciunt sexto; illud corpus esset æquale, & simul inæquale vtrilibet eorum locorum totalium, in quibus existeret circumscriptiue. Aequalitas patet: quia quilibet eorum locorum esset locus adequatus eius corporis: omnis autem res locata locum suum adequatum æquat, siue, quod eodem redit, ei æqualis est. Rursus inæqualitas eius corporis ad quemlibet eorum locorum, de quibus sermo est, suadet: quia esset æquale duobus illis locis simul sumptis: ergo alterutri seorsim inæquale, eoque maius, magisve protensum: consequentia est euidens: quod enim est æquale collectioni, nequit non esse inæquale cuius parti talis collectionis, quo pacto quia sex homines v. gr. & sex Angeli sunt numero æquales, hoc ipso sex homines inæquales numericè sunt respectu trium Angelorum, eosque sin minus perfectione, saltem multitudine superant. Antecedens probatur: quia corpus, quo de loquimur, simul occuparet duo loca totalia circumscriptiue, iisque commensuraretur: esset ergo iis simul sumptis æquale: qua ratione, quia anima rationalis occupat totum spatium nostri corporis, ei sanè æqualis est, illudue exæquat. Obiiciunt septimo; vbi talis corporis fore, & non fore circumscriptiue: fore quidem, ut supponitur: non fore, utpote quod huic loco corpus non circumscriberet, sed illud in alio esse pateretur. Postremo obiiciunt: si corpus aliquod esse posset simul in duobus locis adequatis circumscriptiue, sanè & posset esse in infinitis; imò & in omnibus, seu, quod perinde est, vbique: consequens est absurdum: quid enim id esset, quam immensitatem Dei propriam communicari posse alicui creaturæ? Quid item, quam corpus illud esse quantitatis finitæ, & simul infinitæ: illius, nempe finitæ, quia ipsam finitum entitativè, &

essentialiter est, finitæque versus maximam partes habet: infinitæ verò, quia infinitum, imò & omnem locum circumscriptiue replet, quod absque infinitate quantitatis, haud potest intelligi.

Hæc tamen argumenta in mysterio Eucharistiæ, ac multiplici vbitate definitiua corporis Christi clarè instantur, & (nisi valde fallor) talia sunt, de quibus in hæc B. Claudiani Episcopi lib. 3. de statu animæ cap. 11. verba fari iure possum: *Eo mihi met hisce inanibus respondere admodum laboris est: quia nihil isthic est, cum quo congregari: nihil quod medullitus eruiam: nihil est, cum quo certauisse exercitatio: nihil profecto est, quod vicisse victoria sit.* Verum quia nonnullis scholasticis placent, idcirco libet iis ex ordine respondere. Ad primum ergo eorum, & respectu superiorum tertium dicendum est, non idem quæuis duo corpora de facto distare, quia loca occupant inter se distantia; sed quia præter locorum distantiam, distinctionem habent entitativam: eiusmodi autem distinctione à seipso careret corpus circumscriptiue positum in duobus locis adequatis: unde ex tali eius positione non sequeretur, quod distaret à se ipso, sed tantum quod non distaret. Sic duæ animæ rationales, quarum vna hic existat in spatio vnus palmi, & altera Romæ in spatio alterius palmi, distarent à se inuicem, tametsi ambæ existerent in duobus locis tantum inadæquatis: & tamen vna, eademque anima de facto existit in duobus locis inadæquatis inter se distantibus, nempe in spatio capitis, & spatio pedis, quin propterea distet à seipsa: similiter ergo, si loquamur de duobus locis adequatis inter se distantibus, duo corpora in illis circumscriptiue posita, eo ipso distabunt; si tamen vnum in illis ita collocetur, non ob id censi poterit à se ipso distans, aut separatam.

Ad quartum argumentum contrarium dicendum est, fore tantum ut corpus in duobus locis contiguis circumscriptiue existens se non tangeret; defectu nimirum distinctionis à seipso: nec referret, loca, in quibus esset, esse contigua: nam etiam est in temporibus sibi veluti contiguis, & immediate succedentibus: & tamen non propterea sibi ipsi quoad durationem, aut temporis spatium succedit: sicut ergo defectus distinctionis, ac multipliciter realis tollit ab eo relationem successionis respectu sui ipsius; quidni & in euentu nostræ disputationis tolleretur ab eo relationem contiguitatis? Ad quintum dicendum est, fore ut corpus illud per vnā vicationem circumscriptiue adequatam esset extra locum *A.* v. gr. & per aliam non esset extra eum locum, sed potius in illo, aut intra illum: in hoc autem nullam esse contradictionem, ut est sponte sua manifestum. Sic dum raptus est Paulus ad tertium cælum, uti refertur epist. 2. ad Cor. 12. Eius anima fuit fortassis extra illius corpus per vnā vicationem, ut constat ex illis ipsiusmet Apostoli verbis: *Scio hominem in Christo ante annos quatuordecim (sive in corpore, nescio, sive extra corpus, nescio: Deus scit) raptum huiusmodi usque ad tertium cælum.* Vbi particula *extra* localem, & veram extraneitatem sanctissimæ illius animæ respectu sui corporis, & non solam imaginariam, aut intellectualem significat; cum totus raptus fuerit realis, verusque, & non imaginarius, ut tanquam magis probabile

30.

31.

bile tueretur noster Cornelius à Lapide, & alij quidam interpretes in hunc Pauli locum. Deinde eadem anima Pauli fuit per vnionem, & aliam vocationem intra eius corpus, & non omnino extra illud, vt docet B. Thomas 2. 2. quæst. 175. art. 5. & quidem alioqui Paulus non raptus fuisset, sed mortuus. Similiter ergo in præsentī, &c.

32.

Ad sextum argumentum contrarium dicendum est, corpus quidem æquale esse loco, in quo est quantitatiuè, vt docet Aristoteles apud P. Suarez tom. 3. in 3. part. disputat. 48. sect. 4. §. *Septima ratio*: at æqualitatem loci, & corporis locati duplicem esse: aliam aptitudinalem, aliam actualem; actualis est, quia corpus occupat totum locum, & non maiorem; locusque continet corpus aliquod, & præter illud, nulum aliud: quare in actu secundo corpus excedit locum, nec è conuerso exceditur a loco. Aptitudinalis æqualitas est, quia corpus aptum est occupare locum aliquem totum, eumque solum, & locus aptus etiam est continere corpus, & excepto eo corpore nulum aliud: cum autem huiusmodi aptitudo alia sit naturalis, alia obediēcialis; consequens est, vt prædicta æqualitas aptitudinalis subdiuidenda sit in naturalem, & obediēcialem. Qua autem ratione diuisa ac subdiuisa est æqualitas loci, & corporis locati, eadem ratione diuidi debet, ac subdiuidi inæqualitas ei opposita. Quibus constitutis, corpus positum circumscriptiuè in duobus locis adæquatis, esset iis simul & collectiuè sumptis æquale, æqualitate actuali siue in actu secundo, & ex consequenti cuilibet eorum seorsim inæquale, inæqualitate similiter actuali. Caterum esset hoc non obstante cuilibet æquale, æqualitate aptitudinali naturali: quia naturaliter esset capax & aptum, quemlibet eorum & non alium replere; similisque aptitudo in loco ei responderet: contra verò illis simul sumptis foret inæquale hoc genere inæqualitatis aptitudinalis naturalis, de quo loquimur. Itaque vno sensu esset alterutri seorsim æquale, & alio inæquale; & sic non sequeretur contradictio, quæ obicitur in argumento. Quod autem quilibet eorum locorum esset adæquatus locus eius corporis non argueret, dari æqualitatem inter vtramque; actualem vtique, quam inter illa hucusque negauī: quia nimirum eodem modo dicendum est, quemlibet eorum locorum fore adæquatum locum eius corporis, adæquatione dumtaxat aptitudinali naturali; siue in actu primo; secus verò adæquatione in actu secundo. Et quidem argumentum manifestè instatur in penetratione duorum corporum in eodem loco: hic enim locus iuxta doctrinam, & modum arguendi aduersariorum esset æqualis alterutri corpori, quia esset alterutrius locus adæquatus; & simul esset alterutri inæqualis, quia esset æqualis duobus corporibus simul sumptis: vnde & cuius seorsim inæquale: quod ergo hic responderint aduersarij, id dictum putent ad argumentum, quos nos impetunt.

33.

Ad septimum argumentum contrarium dicendum est, quodlibet vbi corporis in duplici loco adæquato collocati, eo modo quo collocari posse defendimus, fore circumscriptiuum: quia eius vi vnæ superficies corporis alias ambi- rent, ac circumscriberent: iuxta dicta à nobis

supra cap. 2. huiusmet tractatus. Sed fac, vbi circumscriptiuum tale dici, eò quod corpus ita huic loco circumferbat, vt non permittat, illud non esse in alio: sane hoc ita intelligendum est, vt habeat solum naturaliter non permittere positionem corporis in alio loco: quidni ergo posset corpus, non obstante eius vbi circumscriptiuo in hoc loco, esse miraculosè, ac supernaturaliter in alio? Ad postremum dicendum est; quamuis ex nostra sequatur sententia, quod corpus aliquod esse possit vbique, at in hoc consequenti nullam esse absurditatem: Haud enim inde vterius fiet, corpus vllum posse habere immensitatem, siue durationem Dei propriam: quia immensitas Dei importat esse vbique à se & imparticipatè, quod omni creaturæ tum corporeæ, tum etiam incorporeæ omnino repugnat. Rursus ex eo consequenti, quod admittimus, nequaquam sequeretur, corpus entitatiuè finitum habiturum, si esset vbique, quantitatem simul finitam, & infinitam; si fortè quantitas à substantia corporis quanti supponatur distincta: nam, vt entitas corporis, cesset finita sit, vbique poni potest, ita etiam huic eius positioni minimè repugnat, quod quantitas illius sit dumtaxat finita, & neutiquam infinita.

CAPVT IV.

De vacuo corporis naturalis.

34.

Postquam de loco corporis naturalis egimus, reliquum est, vt de eius vacuo nonnihil dicamus. Vacuum ergo est locus omnis corporis exers, naturaliter tamen aptus illo repleri: extra superficiem supremi cœli vacuum propriè dari censeo, ibi enim est locus imaginarius, & intercepto quædam infinita omnis corporis exers, tamen naturaliter capax: cur enim Deus alium mundum extra hunc, imò infinitos condere nequeat? Caterum intrà latera huius vniuersi vacuum naturaliter repugnare plerique Philosophi tenent, præter Democritum, Epicurum, ac nouissimè Turnebum, aliòsque paucos, qui facile impugnari possunt, in hunc modum. Non magis repugnat, eundem vniuersi locum duo corpora inuicem penetrata suscipere, quam aliquem locum omni corpore vacuum esse; sicut non magis repugnat, eandem materiam duas formas substantiales suscipere, quam omni forma carere: at illud prius naturaliter repugnat: ergo & hoc posterius. Minor quamuis ab aliquibus referente Alexandro opusc. de mixtion. & Fernelio lib. 2. suæ Physiologiæ negetur, à nobis tamen supra probata est, cum de raro, & denso ageremus, ac modo ostenditur vulgari, ac notissima experientia, quam his verbis proponit Greg. Nissenus lib. de resurrect. & anima; *Amphora admodum stagno non statim repletur, sed prius coactio intus aëre concanum sursum tollente innatat, quoad haurientis manu amphora pressa in fundo fuerit, ac tunc per os accipiat aquam: quo facto ostenditur, quod nec antequam aqua repleret, vacua esset: nam pugna quedam duorum elementorum cernitur, dum aqua, quæ propter grauitatem vi in concanum irrumpit, aër vero qui in concano interceptus deprehenditur per idem os in contrarium circa aquam coarctatus*